

Si fuerit infortuna in angulis, in signis quadrupedum, nascetur natus cum pluribus pedibus quàm duobus, uel haebit pedes alterius formæ quàm pedes hominis, & corpus ipsius immutabitur. Si autem prædictis locis, scilicet luminarium & ascendenti, nulla fortuna testificata fuerit, natus non loquetur, irrationalis, sine aliquo intellectu, eiusq; factura ueraciter & perfecte immutabitur. Si prædictis locis Iupiter & Venus testificati fuerint, natus erit honoratus, loquetur multa in Legibus, & uaticinabitur, & erit hermaphroditus, id est, figura ex Venere & Mercurio denominata. Si Mercurius in factura permutata testimonium contulerit, erit natus somniorum interpret, & ex his erit eius uictus, præter quod furdus est, & superiores dentes statim cadent. In alijs uero rebus, erit conuenientis naturæ, præterquam quod erit subdolis, & deceptor hominum. Hæc Ptolemæus.

Aliorum sententiæ & aphorismi.



Aturnus, Sol, Luna, & Caput draconis Lunæ, in eodem gradu in ascendente, natus erit hermaphroditus.

Si tres domini triplicitatis ascendentes cadentes, luminaria etiam cadentia, item domini locorum luminarium, & locus coniunctionis uel oppositionis præcedentis natiuitatem, & dominus eius cadentes fuerint, natus non gustabit aliquid, aut non erit homo, sed erit monstrum, ita quod habebit aliquod signum ultra naturam humanam.

Si luminare, cuius fuerit auctoritas, infortunatum fuerit in angulo occidentis, uel si infortunantes illud ab angulo occidentis aspexerint ex quadrato uel oppositione, nascetur seminiuus (uel quod ego expertus sum) ut frustum carnis, quod Medici Molam appellant, philosophi autem massam carneam.

CAPVT QVARTVM.

De his qui non creuerunt.



I aliquod luminarium fuerit in angulo, & illi associetur altera infortunarum in eodem gradu in longitudine tantum uel longitudine & latitudine, uel aspiciat illud in figura æquicruria, nec ulla fortunarum ei societur in figura, fueritq; dispositio luminarium in locis infortunarum, natus non uiuet, sed statim morietur. Figura æquicruria sit, exempli gratia, Sit Sol in ascendente, Luna in angulo terræ, infortuna in angulo septimæ, quæ aspiciat Solem opposito, & Lunam ex quadrato aspectu partiali in iisdem gradibus.

Cum